quidam christianis apparuit Arabice scriptus,
cuius auctor christianum vel Iudeum vel Sara-
cenum se negat, in quo continebatur que gessit
soldanus contra christianos, et de captione Damiate.
Dicebat quendam regem christianorum Nubiarum
Mecham civitatem debere destruere et ossa Ma-
humeti dispersa proicere[a].

Pars XVIII. De quibusdam incidentibus.

Audita captione Damiate Georgiani scribunt vic-
toribus turpe esse eis, nisi Damascum vel alium
locum nominatum virtute armorum caperent.
Ipsi eundem Persis vicini sunt, longo terre spatio
a terra promissionis distantes, quorum dominium
extenditur usque ad montes Caspios. Bellicosi ho-
mines sunt, habentes rasuram in capite, clerici
rotundam, layci quadratam. Mulieres eorum
equestres procedunt docte ad bellum.

MCCXX. Princeps Damasci destruxit castrum Sapheth. a/. 101.
Iohannes rex Ierusalem castrum reliquit fidelium,
causas aliquas pretendens ad sui[b] excusationem
et promittens festinanter rediturum.|| Supervenerunt
de Ytalia multi peregrini, quia[c] tamen caput non
habebant, cui omnes nationes obedirent. Damiata
a christianis per annum et amplius possessa pro
redemptione multorum captivorum paganis reddita
est.|| Eodem anno Tartari Georgiam vastare ceperunt.
Deinde intraverunt Maiorem Armeniam, ubi
est mons Arath, ubi requievit archa Noe, in cuius
radice est prima civitas, quam edificavit Noe
:[d] illa defluit fluvius Artharis, qui fluit per
medium Mongaminum, ubi sunt in yeme Tartari,
usque ad mare Sarracenicum.

XIX[a] pars. De quibusdam gestibus trium regum.

Rex Ierusalem profectus[e] MCCXXI. ad regem Francie
se contulit auxilium petiturus propter malum
statum terre promissionis.|| Fredericus rex Roma-
norum signo crucis prius assumpto unicam filiam

a) spicere c.
b) festinationem add., sed del.
c) qa c.
d) ū c.
e) pfectus c.